



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Archiepiscopatus Et Electoratus Trevirensis

Abtei Sankt Maximin <Trier>

Avgvstae Trevirorum, 1633

Littera Ff. Litteræ Domini Nvncii Apostolici ad Electorem Coloniensem in
causa Monasterij S. Maximini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62152)

Littera Ff.

LITTERÆ DOMINI NVNCII

Apostolici ad Electorem Coloniensem
in causa Monasterij S. Maximini.Serenissime ac Reuerendissime Domine Princeps
Electoꝝ, Domine Colendissime.

PRO ea muneris mei obligatione, qua teneor erga illa, quæ sedis Apostolicæ propria sunt, debeo Vestræ Serenitati cõmendare, vt Sac. Cæsareæ Maiestati vnâ cum geminis suis Illustrissimis Collegis, insinuare velit, prorsus decere singularem eius pietatem & Religionē, ne quæ hæctenus Iura Apostolicæ sedi fuere in Imperio concessa, tollantur, aut prauo vsu abrogentur. Audiui pro re comperta, Cæsarem prætenso Electo Antistiti S. Maximini, dedisse Indultum, quo ei tribuitur facultas Abbatiam administrandi, ad quam est assumptus, suffragatione damnata iam sæpius in sacro Rotæ Romanæ Tribunalis; quod vtrique nouum atque inusitatum in Imperio est; cum iis, qui collocantur in Ecclesiastica dignitate, Cæsar Iura, Regalia, permittere non soleat, nisi Eos prius confirmet Summus Pontifex, Vicarius Dei; quare necesse habeo, pro munere Legati, quo fungor, rogare Vestram Serenitatem, vt coniunctis consiliis, atq; authoritate, cum aliis Ecclesiasticis Electoribus, sacræ Maiestati Cæsareæ proponat, quàm hoc alienum sit, ab eius Conscientiæ pietate, & maxima obseruantia laude, qua semper valuit erga Apostolicam Sedem, cui profecto consentaneum esse non potest, quod patiat in casibus Ecclesiæ reseruatis, prosterni eiusdem Ecclesiæ authoritatem, ius quoque negari, in quo Summus Pontifex

N. 482.

A Cæsare

iura,

sedi Apo-

stolicæ in

Imperio

concessa,

tollī non

possunt.

N. 483.

Cæsar in-

dultum ad-

ministran-

di iura, Re-

galia, Ec-

clesiasticis

ante con-

firmationē

Apostoli-

cam conce-

dere negt.

N. 484.

Nuncius

Apostolicus

petit, vt

Electores

proponant

Cæsari,

ne iura se-

dis Aposto-

licæ minu-

at.

N. 485.
Iura Apo-
stolica læ-
derentur,
si Cæsar
ante con-
firmationē
Regalia cō-
cederet.
N. 486.
Electo-
r Colon:
admone-
tur, ut iura
S. Sedis, iu-
xta pro-
missionem,
tueatur in
casibus res-
seruatis.

N. 487.
Cæsar à
pietatis &
conscientiæ
gloria lau-
datur, &
culpa in
Ministros
coniicitur.

tifex & Germania, consensu tot sæculorum, ante hac pa-
catè adeo conuenerunt, & reseruationem Ecclesiastici
status abrogari; Quæ omnia fieri manifestum est, si Cæ-
sari permissum sit dare Indulta eiusmodi, seu Iura, Re-
galia, Electis ante Pontificiam confirmationem: Et sanè
noceret Exemplum, haberentque Hæretici, vnde San-
ctæ Sedis contemptum adhuc maiorem ediscerent, nec
villo fræno cohiberentur, à Patrimonij sacri deinceps
direptione. Quæ cum ita se habeant, satis agnoscit Ve-
stra Serenitas, iam adesse, si vnquam aliàs, occasionem,
re & factis præstandi, quod non. ita multò ante, in po-
stremo Conuentu Herbipolensi, piè admodum pollici-
ta est; nempè omni ope se conaturam, tueri Sanctæ Se-
dis authoritatem, in Casibus reseruatissimis; faciet verò id
eò, ut spero, alacrius, atque constantius, quod probè no-
uerit, quanta sit Cæsar in Imperio à pietatis & consci-
entiæ gloria commendatio, & cum de eius mente, com-
parata ad omnem æquitatem, dubitari non possit, so-
lummodo ad Consiliarios & Ministros ipsius negotium
inclinari debere, darique operam, ut in nihil adimant
iuris Summo Pontifici, ac Deo. Augebit in hoc Vestra
Serenitas famam animi perstudiosi, quo hætenus fuit
erga Sanctam Sedem, quam ei gratulor ex animo, ac
precor, ut viuat diu prosperrimè. Leodij 19. Nouembris.
1627.

Serenitatis Vestræ

Addictissimus, & obseruantissimus
Seruus Petrus Aloysius Episcopus
Tricaricensis,

Lit-